

dant dicta superius. § 8. num. 280. et alibi.

408. *Vel quando cum fama concurrunt alia adminicula.* — Tertio, potest fama plene probare, quando cum ea concurrunt alia adminicula; juxta illud cap. i. de Apellat. ibi: « Veritate per idoneas personas, et famam loci sollicitè inquisita. » Concordat textus in 6. Illud quoque de Præsumpt. ubi Glossa §. *Fama loci*, recte infert, quod fama sufficiat ad probationem, si aliæ præsumptiones coadjuvent; ita quod cum fama faciant probationem, et ita, quæ non prosunt singula, multa juvant. Huc adde c. *Præterea de testibus*, ibi: « Si præsumptionem violentam fama consentiens subministret, ac alia legitima adminicula suffragentur. Etenim circumspice iudex atque discretus motum animi sui ex argumentis, et testimoniis, quæ rei aptiora esse compererit, confirmabit » Hæc ibi. Atque idcirco hanc limitationem tradunt Felinus loc. cit. n. 17; Alexander consil. 24. n. 20. lib. II. Abbas consil. 81. n. 1. vol. 2. asserens, quod fama cum aliis adminiculis sufficiat ad probandum quem usurarium manifestum, ut excludatur a sepultura ecclesiastica; idque probans ex c. *Cum in diocesi*. juncta Glossa §. *Manifestos*. et Joan. Andrea ibid. n. 2. de *Usuris*. Card. Tuschus litt. F. concl. 66. n. 3. et 65. hanc appellans communem opinionem.

409. *Item in iis, quæ sunt difficilis probationis.* — Quarto, fama sola, legitime tamen probata, plene probat in iis, quæ sunt difficilis probationis. Card. Tuschus d. concl. 66. n. 66; Alexander consil. 66. n. 9. lib. III. citans Ant. de Butrio in c. *Veniens*. il. 1. de *Testib.* et Bartolum l. *De pupillo*. § *Si quis ipsi prætorio*. quæst. 8. ff. de *Novi oper. nuntiati*. Jason cit. repetit. l. *Admonendi*. n. 252. ff. de *Jurejurand.* Mascardus cit. concl. 754. n. 22. et alii.

410. *Et quando agitur Remedio can.* Redintegranda. — Quinto, quando agitur Remedio can. *Redintegranda* 3. q. 1. ad recuperandam possessionem: nam tunc probata publica fama, debet restitui possessio agenti hujusmodi remedio. Ancharanus consil. 42. n. 2. asserens, in hoc convenire omnes doctores. Mascardus n. 24. allegans alios.

411. *Item, quando agitur ad evitandum peccatum.* — Sexto, fama probat, quando agitur ad evitandum peccatum: ut c. *Super eo*. juncta Glossa fin. de *Consanguin. et affinit.* ubi sola fama loci de subsistente impedimento, impedit matrimonium contrahendum.

Septimo, quando agitur de probanda morte alicujus in loco remoto, aut naufragio, vel conflictu bellico, juxta dicta n. 398. Octavo, fama plene probat in illis casibus, in quibus versatur opinio, et consuetudo hominum: ut in nominum impositione, arg. l. *Librorum*. § *Quod tamen*. juncta Glossa §. *Libros debere*. ff. de *Legat.* III. Nono, quando lex vult, quod sufficiat, famam esse de re aliqua: prout amplius tradit Mascardus cit. concl. 754. n. 24. 25. et seqq. ubi citatis aliis auctoribus universim enumerat triginta duos tales casus.

### § XIII.

#### DE PRODUCTIONE TESTIUM.

412. *Testes regulariter sunt producendi post litem contestatam.* — Quæritur I. Quando, et qualiter testes sint producendi? Resp. I. Testes regulariter sunt producendi post litem contestatam. Ita communis; et patet ex rubrica, totoque tit. « Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem: » estque jam superius dictum eod. tit. 6. n. 1. et seqq.

413. *Exceptis certis casibus. Remissive.* — Additur « regulariter, » ob certos casus ibid. n. 4. ac seqq. jam specificatos. Potest enim reus etiam ante litem contestatam, petere productionem, et receptionem testium, atque eorum testimonia publicanda curare, si timet v. g. de futura controversia sibi per adversarium movenda, et testes, quos pro sua defensione nunc habere posset, sunt valetudinarii, aut in longinquas regiones abituri; sicque periculum subest, ne ob ipsorum defectum veritas in posterum occultetur, c. *Quoniam*. 5. § 1. « Ut lite non contestata, » etc. Tacentur cæteri casus ibidem videndi.

414. *Qualiter testes sint producendi? Sunt producendi tempore per judicem designando, vel citandi a iudice ad instantiam partis.* — Resp. II. Quando lite jam contestata actor per testes vult probare intentionem suam, verus suam exceptionem, petere a iudice debet admitti ad probandum, seu producendum testes suos tempore per judicem designando: et si testes ad solas productionis preces venire recusent, vel saltem recepta praxis tribunalium ita habeat, tunc ipsi sunt citandi a iudice, ad instantiam tamen partis producentis. Ita Vallensis h. t. § 3. n. 1. Engel eod. n. 1. et alii, præsertim proxime citandi. Idque de-

sumitur ex l. 3. § fin. ff. h. t. ubi iudex jubetur in testibus evocandis attendere ad antiquam locorum consuetudinem: et consequenter iudicis est evocare testes ad petitionem partis, vel saltem huic dare facultatem statuto tempore ipsos producendi.

415. *Testis ultroneus censetur suspectus, et non probat parte contra eum excipiente.* — Et merito hic intervenit auctoritas iudicis, parte petente vel testes citantis, vel eorum productionem pro statuto tempore consentientis. Nam testis ultroneus, sive non citatus, neque post assignatum a iudice terminum a parte producente petitus, sed ultra ad testificandum se offerens, censetur suspectus, id est, nimium parti affectus; ac proinde debet reprobari, juxta l. *Quæ omnia*. § *Sed et si*. ff. de *Procurat.* Nec probat parte adversa contra ipsum excipiente. Felinus c. *In nomine*. n. 23. h. t. istud confirmans ulterius ex Auth. de *Testib.* § *Si vero ignoti*. collat. 7. Bartolus. *Post legatum*, § *His vero*. ff. de *his quibus ut indignis*, etc. Mascardus de *Probat.* concl. 1365. n. 63; Farinacius de *Testib.* quæst. 80. n. 1. allegans plurimos alios.

416. *Si tamen deponat in presentia partis, valet dictum ejus nemine reclamante.* — Excipit, nisi ejusmodi testis ultroneus in presentia adversæ partis, et iudicis deposuerit: quia tunc, nemine reclamante, valet dictum ipsius. Ratio est, quia talis non præsumitur se ingerere, sed potius a parte produci, utpote quæ in ejus depositionem altera parte non reclamante consensit: nam, ut inquit Abbas c. *In nomine*. n. 15. h. t. post dom. de Rota decis. 360. ad validitatem testimonii satis est, quod iudex assignet certum terminum parti ad producendum testes: quo facto potest pars intra terminum absque alia citatione testes producere, arg. c. *Constitutus*, 30. h. t. ubi pars ita legitur testes coram iudicibus pro se produxisse. Idem docet Speculator tit. de *Teste*. § *Qualiter*. n. 6; Mascardus cit. concl. 1365. n. 66. et 67. post Rotam decis. 22. de *Testib.*; Bartolum cit. l. *Post legatum*. § *His vero*. ff. de *his quibus ut indignis*. et plurimos alios quos citant.

417. *Partibus presentibus, et non contradicentibus, non requiritur alia testis citatio.* — Accedit Felinus cap. II. n. 24. h. t. asserens veritatem esse, quod presentibus partibus, et non contradicentibus, alia testis citatio, vel monitio non requiratur. Et quod dictum illud, « testis ultroneus non probat, » sit verum parte opponente: alioquin vero nocet

ei taciturnitas sua, juxta reg. 43. jur. in 6. « Qui tacet consentire videtur. » Si quidem inhabilitas ista non est talis, cui pars tacite renuntiare non possit: unde redeunt dicta superius. § 1. n. 17. 18. et 21.

418. *Regula est, quod productio et receptio testium, debeat fieri citata parte adversa: alias non probant.* — Quæritur II. Utrum ad productionem testium requiratur citatio partis adversæ; et quid, si quis eam impedire præsumat? Resp. I. Regula est, quod productio, et receptio testium debeat fieri citata parte adversa, contra quam producuntur: alioquin attestations contra non citatum receptæ nihil probant, imo sunt nullius momenti. Ita textus expressus in c. 2. h. t. ubi Glossa, Abbas, Joan. Andreas, Baldus in *Summario*; Mascardus de *Probat.* concl. 683. n. 1; Farinacius de *Testib.* quæst. 72. n. 1. et communis. Id ipsum habetur in Auth. de *Testib.* § *De testibus*, collat. 7. quæ est canonizata in c. 2. cap. 4. h. t. illo tamen addito, quod si citatus cessante justo impedimento venire noluerit, absentia ejus habeatur pro presentia; et factæ postmodum attestations perinde teneant, ac si eo etiam presente factæ sint.

419. *Et hujus ratio.* — Ratio conclusionis est; tum quia, ubi agitur de alicujus interesse, semper ille in iudicium citandus est, l. *De unoquoque*. ff. de *Re judicat.*; tum quia, si testes reciperentur parte adversa non citata, adimeretur huic facultas proponendi legitimæ exceptiones, per quas repellerentur personæ testium, aut negotium principale elideretur, c. *Quoniam frequenter*. § 1. juncta Glossa §. *Ad repellendum*, et §. *Vel alia*. « Ut lite non contestata, » etc. Hoc autem fieri non debet; cum legitimæ defensiones nulli sint subtrahendæ. Clem. *Sæpe contingit*. § 1. de *Verb. signif.* cum similibus.

420. *Debet etiam citatio illa scribi inter acta iudicii.* — Quinimo non solum pro receptione testium citandi sunt illi, quorum interest; sed etiam super ipsa facta citatione, testiumque depositionibus confici debet publicum instrumentum: ut c. *Significavit*. 41 et c. *Albericus*. 43. h. t. et notat Hostiensis in *Summa*. tit. de *Testib.* n. 8. Aut saltem per Notarium ea est scribenda inter acta iudicii, c. *Quoniam contra*. 11. de *Probat.*

421. *In quo sensu pars adversa debeat audire testes; juxta cap. II. h. t. Juramentum testium trahitur ad totum actum depositionis.* — Cæterum illud, quod in cit. cap. II. h. t. additur,

vicelicet quod « oportet, ut testimonia dentur, illo (adversario) admonito a iudice, vel defensore venire, et audire testes : » non sic intelligendum est, quasi adversa pars venire debeat, ut audiat testes, quando deponunt dictum *sub iuramento* (debent enim testes secreto, ac singillatim deponere, c. *Venerabili*. 52. h. t. et l. *Nullum*. c. cod.) seu quia debent eos videre, et audire jurantes; ut explicat Glossa ibid. §. *Audire*. et Vivianus in *Rationali cit.* cap. II. h. t. Nam testis censetur recipi, ac deponere, quando jurat, eo quod iuramentum testium ad totum actum depositionis trahatur, l. *Si quando*. c. h. t. et sic actus depositionis refertur ad tempus iuramenti. Vivianus loc. cit. Porro dicta ipsamet testium sufficienter audiuntur, ac videntur, post publicationem attestatum, quando etiam legi possunt.

422. *Regula illa est limitanda in certis casibus.* — Resp. II. Etsi data regula, sive conclusio regulariter procedat, eadem nihilominus est limitanda in certis casibus. Ita Abbas, et Felinus in cit. cap. II. n. 7. h. t. et *Additio ad Abbat.* ibid. §. *De crimine*; Mascardus concl. 683, n. 15 et seqq.; Farinacius d. quæst. 72. n. 36. et seqq. ubi viginti tres hujusmodi limitationes refert: earum tamen præcipuæ sunt sequentes.

423. *Sic, quando est periculum in mora, possunt testes recipi altera parte non citata idque exemplificatur.* — *Primo*, data regula fallit, possuntque testes recipi parte altera non citata, quando est periculum in mora. Mascardus cit. concl. 683, n. 41.; Farinacius d. n. 36, allegans alios. Ut si jurisdictio iudicis delegati esset peritura eo tempore, quo pars citatur. Vel si agatur de probatione debiti contra debitorem de fuga suspectum. Farinacius ibid. n. 36. et 37; Mascardus n. 26. cum aliis. Aut, quando est timor mortis, aut diuturnæ absentiae testium, vel alias urget periculum admittendæ facultatis ad probandum, c. *Quoniam frequenter*, § 1. « Ut lite non contestate, » etc.

424. *Idem dicendum, quando pars adversa consentit, saltem tacite.* — Deinde fallit data conclusio, quando pars adversa consentit in talem productionem, ad receptionem testium absque sua citatio. (potest enim cedere juri suo) sive dein ita consentiat expresse, sive tacite; hoc est, non excipiendo contra talem productionem testium, juxta dicta superius, § 1. n. 17. 18. et 21.

425. *Aut, quando ea est præsens in produc-*

*tione, ac receptione testium.* — Idem dicendum si pars adversa sit præsens in productione, ac receptione iuramenti testium, quia tunc non est opus alia citatione, cum præsentia ejus suppleat citationem. Auth. *Sed si quis*. c. h. t.; Glossa cap. II. §. *Admonendus*. et Felinus ibid. n. 16. h. t. et concordant dicta superius tit. III. *De Libelli oblatione*. § 2. n. 69.

426. *Vel intervenit monitio iudicis, ut pars adversa compareat. Plus operatur monitio iudicis, quam citatio nuntii.* — Fallit tertio data regula, quando intervenit monitio iudicis, ut pars adversa compareat: quia tunc non est opus alia citatione: ut probat textus in d. cap. II. h. t. ibi: « Illo admonito a iudice, aut defensore venire, » etc. Quinimo plus operatur monitio iudicis, quam citatio nuntii. Maranta part. 6. *Speculi aurei*, tit. *de Citatione*. n. 49; Farinacius d. quæst. 72. n. 76.

427. *Item, quando est talis testis, ut ejus dicto necessario si standum. Et quid, sit testis sit omni exceptione major?* — Fallit quarto, quando est talis testis, ut ejus dicto iurato necessario sit standum; ut puta, ex voluntate testatoris ita mandantis, juxta l. *Theopompus*. ubi Bartolus n. 4. ff. *de Dote prælegat.* ac notat Alexander consil. 130. n. 5. lib. I; Felinus c. *In nomine*. 2. n. 14. h. t. rejiciens contrariam Abbatis opinionem; Mascardus d. concl. 683. n. 30. allegans alios. Idem dicendum, quoties certum est, nihil posse opponi contra testem: puta, quia constat, quod sit major omni exceptione. Felinus, et Mascardus, ubi supra, et plures alii, quos pro hac sententia allegat Farinacius d. quæst. 72. n. 47. quamvis ipse n. seq. fateatur hanc limitationem sibi admodum duram videri: quia, licet nihil possit opponi personæ testis, multa tamen alia possunt proponi ad impediendum examen, vel saltem ad veritatem magis explicandam formando certa interrogatoria, quæ pars citata formare posset.

428. *Et quando testes recipiuntur ad informationem superioris super habilitate electi.* — Fallit quinto, quando testes recipiuntur ad informationem superioris super habilitate vel inhabilitate electi, vel alterius personæ ad aliquam dignitatem promovendæ: tunc enim non requiritur citatio partis. Abbas c. *In nomine*, n. 7. et Felinus ibid. n. 8. h. t.; Socinus *de Fallentis*. reg. 406. fallent. 2; Farinacius d. quæst. 72. n. 51. et 52. istud intelligens, antequam quis est promotus ad dignitatem: secus, ubi quis jam fuit promo-

tus et agitur de illo removendo; quia tunc judicialiter foret agendum, non sic in priori casu, ubi sufficit informatio extrajudicialis.

429. *Item in causa hæresis.* — Fallit sexto in causa hæresis, quando propter potentiam personarum, contra quas inquiritur, testibus grave periculum imminere vident, episcopus et inquisitores quia tunc nomina testium non sunt publicanda, cap. ult. *de Hæretic.* in 6. sicque cessa depositio cap. II. h. t.; Abbas cit. cap. II. n. 8. et Felinus ibid. n. 17. h. t.; Socinus d. reg. 706. fallent. 4; Mascardus ubi supra, n. 36. et alii.

430. *Et quando iudex vult se informare super notario, vel fama. Vel testis alias examinatus iterum producit ad declarandum dictum suum.* — Fallit septimo, quando iudex vult se informare super notorio, vel fama: puta quando agitur, ut deveniatur ad inquisitionem specialem, juxta c. *Qualiter et quando*. 24. *de Accusat.* quia tunc potest recipere testes parte non citata. Felinus c. *In nomine*. n. 7. h. t.; Mascardus d. concl. 683. n. 15. allegans alios. Idemque dicendum, quando testis alias examinatus, iterum producit ad declarandum dictum suum: quia in tali declaratione non est necessaria partis citatio. Mascardus loc. cit. n. 31. allegans alios. Tacentur aliæ limitationes, de quibus auctores proxime citati: nam præmissæ sunt principales, minusque dubie.

431. *Excommunicari potest, qui impedire præsumat productionem testium.* — Resp. III. Quod si pars adversa, vel quicumque alius impedire præsumperit productionem testium, tunc excommunicari poterit. Textus est in c. *Constitutis*. 45. h. t. ubi pontifex intellecto, quod nonnulli partim minis et terroribus, partim extorto iuramento de non testificando contra reum, testes a ferendo testimonio arcerent niterentur; ex officio suo providere volens mandavit ut generalis sententia excommunicationis feratur in omnes, qui impedimentum aliquod parti in producendis testibus præstare præsumperint: et notat Abbas in *Summario*, et Barbosa in *Collectan.* ibid. n. 1. et communis doctorum. Accedit ratio, quia occultare veritatem in alterius præjudicium, dum quis legitime inducitur ad testificandum, est peccatum mortale, can. *Quisquis metu*. 11. quæst. 3. ergo idem dicendum de eo, qui malitiose præsumit impedire alterum a ferendo testimonio: nam facientes, et consentientes pari pena sunt

plectendi, c. *Quantæ*. 47. *de Sentent. excommunic.* Atqui pro peccato mortali, præsertim tam pernicioso, potest quis excommunicari, can. *Nemo episcoporum* et can. *Nullus sacerdotum*. 11. q. 3. ergo.

432. *Judex ex officio providere debet, ne impediatur productio testium.* — Hinc Abbas in cit. c. *Constitutis*. n. 1. h. t. ex textu illius notanter infert, quod iudex ex officio suo providere debeat, ne impediatur productio et receptio testium, sed salva sit partibus rerum probatio: et si secus fiat, iudex ecclesiasticus possit excommunicare etiam laicos, vel quoscumque impediendo partem in explicandis illis, quæ sunt iudicio necessaria. Quod si tales ignorantur in specie, notetur practica in d. c. *Constitutis*. 45. h. t. insinuata, ut feratur excommunicatio generalis in quolibet ita impediendo.

433. *Quid agendum, si testes producendi alienæ sint jurisdictionis? Debet tunc citatio eorum expediri per litteras mutui compassus?* — Quæritur III. Quid agendum, si testes producendi alienæ sint jurisdictionis? Resp. I. Quando testes non sunt subjecti jurisdictioni iudicis citantis, sed alienæ jurisdictionis; tunc eorum citatio expediri debet per litteras, quas vulgo *mutui compassus* appellant, in quibus requiritur iudex competens, ut testes suæ jurisdictioni subjectos mittat ad locum iudicii, in quo eorum testimonium desideratur. Ita Engel h. t. n. 2. Et ratio est: quia necessariae probationes debent fieri coram iudice, qui præstet iudicio, l. *Quinquaginta*. ff. *de Probat.* Et ipse omnibus rite observatis tenetur existimare, quanta fides testibus sit adhibenda, l. 3. § *Ideoque*. ff. h. t. Istud autem obtineri non potest a testibus alienæ jurisdictioni subjectis, nisi per memoratas litteras, petendo ipsorum remissionem a proprio eorum iudice: siquidem citatio non subditi, nullius est momenti; cum extra territorium jus dicenti, impune non pareatur, l. ult. ff. *de Jurisdic. omn. judic.* et cap. ult. *de Constit.* in 6. ergo.

434. *His non indiget episcopus in causis ecclesiasticis citans testes laicos suæ diocesis; et cur? Episcopus est ordinarius totius diocesis.* — Additur notanter, « quando testes non sunt subjecti jurisdictioni iudicis citantis, » etc. Cum enim episcopus sit ordinarius totius diocesis. Abbas in *Repet. c. Si quis contra*. n. 41. *de Foro compet.* Atque ipse in quolibet loco suæ diocesis non exempto per se, vel per alium possit pro tribunali sedere,

eo quod « episcopus in tota sua diœcesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere, » juxta textum expressum in c. *Cum episcopus*. 7. de *Offic. ordinar.* in 6. Liberamque habeat potestatem, adulteria et scelera inquirendi, ulciscendi, et judicandi, secundum quod canones censent, absque impedimento alicujus, cap. 1. de *Offic. ordinar.* junctis concordantiis a Glossa ibid. §. *Secundum quod*, relatis. Hinc perspicuum est, quod episcopus in causis ecclesiasticis, citans testes laicos suæ diœcesis, non indigeat litteris *mutui compassus*, quibus requiratur iudices sæculares, ut mittant subditos suos ad ferendum testimonium in iudicio ecclesiastico; habet enim episcopus jurisdictionem ecclesiasticam non solum in clericos, verum etiam in laicos totius suæ diœcesis; sicque testes ab eodem in causis ecclesiasticis citati, nequeunt declinare forum ipsius. Quod si forsitan aliqui eorum secus attentare præsumperint, per censuras ecclesiasticas sunt compellendi ad ferendum testimonium, ne veritas occultetur, cap. 1. et II. et c. *Pervenit ad nos*. §. de *Testib. cogend.* Sed nec ejusmodi testes possunt a sæcularibus iudicibus, vel dominis suis territorialibus impediri, quominus ferant testimonium coram episcopo loci in causis ad ejus forum pertinentibus: quia, ut patet ex c. *Constitutis*. 45. h. t. estque proxime dictum n. 431. et 432. per iudicem ecclesiasticum excommunicandi sunt quicumque illi, etiam laici qui productionem testium impedire præsumperint.

433. *Quod si testes personaliter venire nequeant, concedenda est alteri iudici Remissoria.* — Resp. II. Quod si testes vel ob nimiam distantiam locorum, seu pericula itinerum, aut infirmitatem ipsorum, vel aliud justum impedimentum, iudicem iudicii personaliter accedere, seu remitti nequiverint, tunc per istum concedenda est alteri iudici *Remissoria* (seu litteræ remissoriales) pro examinandis ejusmodi testibus absentibus, ac extra provinciam existentibus: ita videlicet, ut ille alius iudex examen testium in se suscipiat, illudque secundum ordinem juris instituat, ac depositiones testium in scriptis sub suo sigillo clausas transmittat. Ita probat textus in l. *Judices*. c. de *Fide instrument.* ac notat Menochius de *Recuperand. possess.* remed. 15. n. 348. asserens, ita affirmare omnes: ac Farinacius, de *Testib.* quæst. 77. n. 2. citans plurimos alios, et n. 4. subjungens, quod si iudex ejusmodi in causa civili denegaverit remissoriam, possit a tali denegatione appellari.

436. *Intelligendo istud in causis civilibus: secus in criminalibus, in quibus remissoria non conceditur. Nisi hæc sint modicæ, vel agatur ad defensionem rei.* — Notanter tamen additur, « in causa civili. » Nam in causis criminalibus remissoria non conceditur; ut habet textus expressus in Auth. *Apud eloquentissimum*. c. de *Fide instrument.* Ubi Baldus, et Salycetius in *Summario*, sic inquit: « Receptio testium potest committi in civilibus causis, non in criminalibus. » Quamquam istud sit limitandum in causis criminalibus parvis, seu ubi agitur de modica pœna pecuniaria: item, quando agitur ad defensionem rei inquisiti, vel de crimine agitur solum civiliter: aut quando petitur remissoria pro examinandis testibus senibus, vel valetudinariis, sive non habentibus tutum accessum ad locum, ubi causa criminalis intentatur; atque in nonnullis aliis casibus, in quibus remissoria etiam in causis criminalibus concedi potest, ne facultas probationum angustietur, aut veritas occultetur: prout fusius declarat Farinacius cit. quæst. 77. a n. 78. usque ad n. 114. allegans alios.

437. *Depositiones testium a iudice remissoriam accipiente, transmitti debent alteri iudici clausæ, seu sigillatæ. Et quid, si transmittantur apertæ?* — Porro, quod attestaciones, seu depositiones testium examinatorum a iudice delegato, seu remissoriam accipiente, transmitti debeant iudici remissoriam concedenti clausæ, seu sigillatæ, non vero apertæ, patet ex eo: quia per remissoriam committitur alteri iudici examinatio testium, non vero publicatio attestacionum, cit. l. *Judices*, juncta Glossa fin. c. de *Fide instrument.* et notat Farinacius d. quæst. 77. n. 143. Quamquam illico subjungat n. seq. quod si secus fiat, et attestaciones testium mittantur apertæ, seu non sigillatæ, idcirco non vitientur dicta testium: licet pars aperiens dictas attestaciones absque auctoritate iudicis, puniatur pœna falsi; et amplius non possit opponere contra testes inhabilitate, vel falsitate.

438. *Testes e longinquo sunt producenti sumptibus ipsius producentis.* — Quæritur IV. Cujus sumptibus testes e longinquo sint producenti? Resp. I. Testes sunt producenti sumptibus ipsius producentis, sive ipsorum testimonium desiderantis; qui proinde testibus e longinquo adductis tenetur subministrare viaticum, seu competentes expensas in veniendo, stando, et redeundo factas, juxta conditionem et qualitatem ipsorum. Ita

communis; et habetur decisum in c. *Statutum*. 10. § *Pro ferendo. de Rescript.* in 6. et l. *Quoniam liberi*. c. h. t. ubi iudex jubetur esse cautus, ut testibus « venturis ad iudicium, per accusatorem, vel ab iis per quos fuerunt postulati, sumptus competentes dari præcipiat. » Quod ipsum refertur can. *Si testes*. § *Venturis*. 4. q. 3. Et merito: quia licet testimonium non debeat testi esse lucro, non tamen debet ipsi esse oneramento: et regulare est, quod ille teneatur ad impensas, cuius gratia actus celebratur, l. *Sed etsi hæreditas*. § *Quo autem*. ff. *Ad exhibendum*; Menochius de *Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 310. n. 10; Covarruvias c. *Peccatum*. part. II. § 3. n. 2; Gailus lib. I. *Practic.* observat. 99. n. 2. et seqq.; Engel h. t. n. 8. et alii.

439. *Qui tenetur eis subministrare competentes expensas in veniendo, stando, et redeundo; et qualiter id præstandum?* — Additur notanter, « competentes expensas in veniendo, stando, et redeundo. » Hæc enim omnes sunt testibus aliunde vocatis subministrandæ, per textum expressum in cit. c. *Statutum*. § *Pro ferendo. de Rescript.* in 6. Ubi Glossa §. *Expensas*, et Ancharanus ibid. n. 3. sentit expensas illas esse deponendas apud iudicem jam a principio, seu antequam testes citet e longinquo. Et idem placet Gailo cit. observat. 99. n. 2. et 3. ubi addit, istud pro cautela esse bene notandum: simulque notat, quod ubi testes extra locum habitationis suæ peregre evocantur, viaticum necessarium ipsis subministrandum sit nulla habita ratione, vel deductione sumptuum, quos alias domi fecissent, per textum in d. § *Pro ferendo*: et nisi producentes id fecerit, testes citati comparere non teneantur, nec iudex causam differre debeat, juxta Glossam ibid. §. *Expensas*.

440. *Judex cavere debet, ne testes e longinquo adductos diutius detineat, saltem non ultra quindecim dies.* — Iudex tamen cavere debet, ne testes e longinquo adductos diutius quam par est, in loco examinis stare faciat, et saltem ipsos non detineat ultra quindecim dies; alias enim testes illi, etiam venia non petita discedere, atque domum redire possent, per textum expressum in l. *Si quando*. c. de *Testib.* Licet ante illud tempus, absque licentia, impune hoc facere non possint, cap. 1. de *Judiciis*, ac notat Gailus loc. cit. n. 6. allegans alios.

441. *Expensæ testibus e longinquo venientibus debitæ qualiter sint mensurandæ?* —

Resp. II. Expensæ testibus e longinquo venientibus debitæ, sunt mensurandæ per iudicem habita ratione status personarum, et qualitatum suarum. Ita desumitur ex textu cit. § *Pro ferendo*, ibi: « Competentes expensas. » Quod ipsum traditur in d. I. *Quoniam liberi*. c. h. t. ibi: « Sumptus competentes dari præcipiat: » et amplius tradit Gailus loc. cit. n. 3. et 4.

442. *Rusticus equo uti non debet: et si utatur, expensæ idcirco factæ non sunt ei reficiendæ.* — Hinc in taxando modo expensarum considerare oportet, an nobilis, plebeius, vel rusticus in testem vocetur. Rusticus enim equo uti non debet; et si utatur, expensæ idcirco factæ non sunt ei reficiendæ, juxta Glossam singularem in l. *Idemque*. § *Idem Labeo*. §. *Eum oportere*. ff. *Mandati*: « Quia (inquit Glossa) consuetudo sua est servanda, et non competit suæ conditioni equitare. »

443. *Utrum emolumentorum, quibus testis ob absentiam carere debet, ratio sit habenda?* — Utrum autem emolumentorum, quibus testis ob absentiam carere debet, seu operarum omissarum ratio habenda sit, variant doctores. Et quidem negativam tenet Gailus cit. observat. 99. n. 5. post Baldum in l. fin. n. 12. c. de *Fructib. et lit. expens.* ac tenent nonnulli alii apud Farinacium de *Testib.* q. 67. n. 271. et 272. Verum ipsemet Farinacius ibid. n. 270. et 273. adhæret oppositæ sententiæ tanquam veriori, et magis communi, ne videlicet testimonium sit testificanti damnosum ex jactura talium emolumentorum.

444. *Testes e longinquo citati gratia utriusque partis, ab utraque sumptus ex æquo recipiunt. Sed hos pars victa tenetur victrici refundere, nisi, etc.* — Solum adde, quod si testes e longinquo citentur pro utilitate utriusque partis, tunc sumptus ex æquo faciendi sint ab utraque parte, utpote ejus gratia atque geritur: ut l. *Sed et loci*. § 1. ff. *Finium regund.*; Gailus loc. cit. n. 6. Alioquin vero pars victa cogetur sumptus necessarios in producendis testibus factos, parti victrici refundere: nisi forsitan ob justam causam litigandi compensatio expensarum facta fuerit, l. *Properandam*. § *Sive autem alterutra*. c. de *Judiciis*.

445. *Regulariter tres solum productiones testium fieri possunt: quarta vero non nisi cum solemnitate legali admittitur.* — Quæritur V. Quot possint fieri productiones testium?